

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 6. An permutatio rerum spiritualium inter se Simoniaca est, ideóque  
illicita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

Ecclesiæ, &c. De quibus cap. *Saluator.*  
 I. q. 3. nam talis venditio prohibita est  
 intuitu Religionis, non quod ita Officia  
 sint in se quid spirituale, aut Sacrum, sed  
 propter quamdam cōjunctionem, quam  
 habent cum supellectili Sacra, rebus, &  
 Ministris Ecclesiæ.

3. Acceptio munerum et si modicorum  
 sponte, ac gratis oblatorum ex occasione  
 examinis ad Parochiam, ex Trid. Sess. 24.  
 cap. 18. item ex occasione collationis Or-  
 dinum, Tonsuræ, litterarum dimissoria-  
 rum, aut testimonialium, ex Trid. Sess. 21 c.  
 1. Dixi *ex occasione.* nam dare, vel accipere  
 aliquid pro coilatione Ordinum, Tonsuræ,  
 aut pro litteris dimissoriis, vel testimonia-  
 libus est simoniacum jure divino: cum  
 ista sint actus procedentes à potestate spiri-  
 tuali ordinis, & jurisdictionis, proindeque  
 spirituales. Subscriptio vero earumdem  
 litterarum, cum sit complementum illarum,  
 est quid spirituale, aut saltem pertinens ad  
 aliquid spirituale, nempe ad actum jurisdictionis:  
 Deinde quando principale fieri de-  
 bet gratis, gratis etiam accessorium fieri  
 debet, cum ex Reg. Juris accessorium se-  
 quatur naturam principalis.

Q. 6. *An permutatio rerum spiritualium  
 inter se simoniaca est, ideoque  
 illicita?*

Resp. Neg. Si illæ non habeant annexum

Tt 4 ali-

aliquid temporale commodum, & nullum interveniat pretium: quia nullo jure est vetita: non jure divino, nam nulla est per se irreverentia, si res Sacra cum alia commutetur nullo interveniente pretio, cum utraque sit ejusdem ordinis: neque jure Ecclesiastico; nam licet in jure prohibatur generaliter omnis pactio in rebus spiritualibus, hoc intelligitur de iis, quibus annexum est aliquid temporale commodum, vel quae fit interveniente pretio temporali. Hinc licet duo paciscuntur mutua preces, mutua Sacrificia, mutuam operam Sacram, v. g. me obligo ad celebrandum eras Missam pro te, ut tu alio die eam pro me celebres.

**Q.** 7. *An simonia reus est, qui temporale pro spirituali promittit sine animo implendi?*

**R<sup>espo</sup>.** Aff. Nam talis habet voluntatem acquirendi Beneficium per aliquid temporale promissum. Deinde non solum datio, sed etiam promissio in jure prohibetur ut simoniaca cap. 12. de Simon. & à Conc. Melphitanus cap. 1. dignitate vel Officio privantur, qui dato, vel promisso, vel pretio, vel servitio ea intentione intento, vel precibus, Ecclesiasticam dignitatem assequuntur.

*Qui verò sine animo se obligandi promit-*